



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Jus Canonicum Practice Explicatum**

Seu Decisiones Casuum Ad Singulos Decretalium Gregorii Papæ IX. Titulos,  
& ad Consuetum Referendi Modum accommodatæ

Complectens dimidiam Decretalium Partem, videlicet nonaginta duos  
Titulos, nimirum usque ad Titulum XX. Libri de Feudis exclusivè

**Pichler, Vitus**

**Ingolstadii, 1728**

Decisio LII. De Auditione Sacri diebus Festis & Dominicis.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62305](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62305)

# TITULUS IX.

De Feriis.

## DECISIO LII.

De Auditione Sacri in diebus Fests & Dominicis.

### SPECIES FACTI.

**R**adegundis Ancilla tempore Jubi-  
lai plenius conscientiae suae late-  
bras pervestigans angi cepit, an sem-  
per ritè audiverit Missam in diebus  
festis & dominicis; eò quòd subinde  
sub missa confessionem Sacramenta-  
lem intulerit, & illà finitâ, sacroque  
epulo relecta mox domum propera-  
re debuerit, non relicto sibi spatio  
aliud audiendi sacrum: subinde ob  
eamdem causam properandi domum  
duas Missas connectere debuerit, pri-  
mam ab Elevatione usque ad finem,  
alteram ab initio usque ad Elevatio-  
nem audiendo: quandoque verò in  
altam ancillam sibi notam in templo

inciderit, & cum ea per aliquod spa-  
tium confabulata heræ suæ petulantiam  
eidem enarraverit: nec non aliquo-  
ties laboribus fessa dormitans Missæ  
interfuerit. Quapropter apud Con-  
fessarium de his quatuor punctis an-  
xia se accusavit, qui Radegundem  
quoad primum & secundum jussit ef-  
se absque cura: quoad tertium inter-  
rogavit, quamdiu sub Sacro garrive-  
rit: quoad quartum verò, an plenè  
& quamdiu dormiverit? An Confessa-  
rius iste bene processerit, patebit ex  
resolutione sequentium 4. Quæstio-  
num.

### QUÆSTIO I.

*An confitens Sacramentaliter sub Missa satisfaciat præce-  
pto Ecclesie de audiendo Sacro.*

**N**egant apud Gobat Bonacina de  
Eucharistia q. ult. pn. II. n. 26.  
March. Resol. Pastor. tr. 4. c. 6. q. 5.  
(R. P. Picbler Decisiones.)

Dicast. de Sacrif. tr. 5. d. 5. n. 199.  
Tambur. l. 4. in decal. c. 2. §. 1. n. 15.  
Steph. Bassæus, Gordon, Lugo, alii.  
K k Dubi-

Dubitant Azor p. 1. l. 7. c. 7. q. 8. Suar. de Euchar. d. 88. sect. 6. Tannerus to. 3. d. 5. q. 6. n. 42. Nec sine fundamento, quia I. confessio peccatorum ita distrahit, ut cum illa stare nequeat attentio ad Missam. II. quia voluntariè distractus non audit Missam: sed confitens est voluntariè distractus ad alia. III. & non orat; requiritur autem, ut audiens Missam oraret. IV. confessio peccatorum est sui tanquam Rei accusatio: ergo non est actio pertinet ad Sacrificium, neque confitens simul cum Sacerdote offerre Sacrificium dici potest; quod tamen est necessarium; cum sacerdos in Missa dicat, *pro quibus tibi offerimus, vel qui tibi offerunt*. item, *qui tibi offerunt Sacrificium Laudis*. V. Qui confitetur peccata, non assistit Missæ moraliter; quia non potest advertere, quid agat Sacerdos Sacrificians, quousque pervenerit &c. ergo. VI. Lectio Nevelarum, & librorum profanorum, item locutio de peccatis extra confessionem non est possibilis cum auditione Sacri: ergo neque lectio aut recitatio peccatorum coram Sacerdote in confessione. VII. Ipse Sacerdos audiens Confitentes non audit Missam, ut docet Pasqual. & alii: ergo nec ipsi confitentes: quia videtur utrobique esse par ratio.

Affirmant probabiliter, imò probabilius, quibus & ego accedo, Reginald. lib. 19. n. 14. Palao tract. 22. pu. 16. n. 4. Georg. de Rhodes disp. Theol. t. 2. d. 2. de Sacrif. Miss. sect. 3. Escobar Theol. Mor. lib. 42. sect. 1. c. 4. Lessius in

Confil. Mor. v. Missa casu 2. primum titulum in re Morali & summè precus P. Georg. Gobat. in Theol. Exp. tr. 5. casu 10. n. 259. cum aliis, modo confitens tempore Sacri habeat intentionem simul audiendi Sacrum, seu ut sit participare Sacrificio, & confessio fiat in templo, vel tali loco, in quo existens censetur aliquis moraliter esse præsens sacrificanti, si non coteretur. Ratio est, quia, si ad intentionem audiendi Sacrum in confessione & confessio instituat in templo (sive in Sacrificia, vel Sacello, licet contingeret &c.) ex una parte confitens moraliter præsens Sacro, cum corpore & animo, modòque humano & religioso adsit, ac ita, ut ex quibusvis signis, v. g. tintinnabuli pulsu, & voce Sacerdotis, populi surgentium iterum flecentis strepitu &c. intelligere possit, quousque pervenerit sacrificans &c. licet per accidens nec hoc advertat. ex altera vero nihil ex necessariis ad auditionem Sacri deest, uti ex solutione objectionum colligetur. Confirmatur ex præxi multis in locis usitata.

Ad opposita sic Respondetur. I. Attentio ad audiendum Sacrum, ad cavendum peccatum etiam verba, sufficiens censetur omnis illa, assistens sub Sacro diliberatè cogitans rebus quibuscunque piis, vel ceteris actus pios, sanctos, & cuiuscunque virtutis, saltem virtualiter, h. e. quando quis habuit propositum attendendi ad res pias &c. at præter culpam suam nunc occupatur ejus phantasia

representatione aliarum rerum. *Gobat.*  
*1. casu 8. n. 222. 226.* cum com-  
 munit, nominatim Suarez *in 3. part.*  
*cap. 8. sect. 3.* qui addit, illi non  
 debet debitam attentionem, qui toto  
 tempore Sacri ita rapitur consideratione  
 Divinarum perfectionum, ut planè  
 non advertat, quid dicat aut quò per-  
 verit faciens. Sed confessio  
 peccatorum hanc attentionem non  
 tollit, quia est actio insignium virtu-  
 tum, humilitatis, reverentiæ, charita-  
 tis erga Deum, confusionis & accu-  
 sationis sui ipsius, dispositiva ad re-  
 missionem peccatorum, & ad reci-  
 piendum gratiam sanctificantem &c.  
 Certe si quis DEO soli confiteretur  
 eorum corde sua peccata tempore  
 Sacri vel sola mente, vel etiam voce,  
 dicens fortè in genere, *tibi soli pecca-  
 vi, & malum coram te feci*, vel in spe-  
 cie cum illa: *vir labiis pollutis ego  
 sum, aut cum Lamech: occidi vinum in  
 calicem meum &c.* Ille exerceret actum  
 pium, & religiosum, consequenter  
 haberet sufficientem attentionem:  
 cur non etiam habeat confitens pec-  
 cata Sacerdoti Dei vices gerenti, præ-  
 sum cum talis confessio magis ar-  
 dia, difficilis, & heroica sit, Deoque  
 gratior? Et quis credat, quòd Eccle-  
 sia, quæ præceptum de audiendo  
 Sacro posuit, noluerit esse contenta,  
 si durante Sacro fiat actio ita Deo  
 grata, & fidelibus adeò salutaris?  
 Ad II. Transeat *Ma. N. Min.* ratio  
 cogendi patet ex primùm dictis; non  
 enim est distractus voluntariè, qui  
 ponit voluntariè actionem adeò piam,

religiosam, & adeò servientem ad Dei  
 cultum. Dico, transeat *Ma.* Nam  
 probabile est, etiam illum satisfacere  
 præcepto Ecclesiæ, qui per totam Mis-  
 sam deliberatè est distractus ad profana,  
 ita ut nesciat, quid agatur (quam  
 sententiam plurimi Theologi & Ca-  
 nonistæ tenent, ac pro probabiliori  
 habent Comitulus *l. 1. Resp. Mor. q.*  
*63. Dicast, Conink, Lugo cum Sylv.*  
*& aliis.)* modò talis præmiserit inten-  
 tionem interessendi Missæ tanquam  
 rei sacræ, seu exhibendi Deo cultum,  
 qua determinatur præsentia physica ad  
 esse morale, ejusque indifferentia ad  
 actum moralem, religiosum, ac pi-  
 um. Et modò adsit attentio externa  
 seu exterior, quæ est exclusio actio-  
 num exteriorum, quæ sunt per oculo-  
 los, linguam, manus &c. incompos-  
 sibile cum omni attentione interna,  
 uti est pingere, scribere, attentè au-  
 dire alios loquentes, magnâ curâ ali-  
 quid exterius agere &c. Interim ta-  
 men deliberatè nullam habere atten-  
 tionem internam in orando, audien-  
 do Sacrum &c est, peccatum veniale  
 contra præceptum Divinum & Natura-  
 le, quin & contra præceptum Eccle-  
 siæ, si teneatur sententia, quòd Ec-  
 clesia actum internum devotionis sal-  
 tem indirectè præcipiat. Rursus juxta  
 illorum sententiam, qui negant pec-  
 cari mortaliter ab eo, qui negligit om-  
 nem attentionem internam, etiam  
 ad verba, quæ est infima, tantùm  
 peccatur venialiter, si quis exerceat  
 actiones, cum omni attentione inter-  
 na non *per se* & ex natura sua incom-  
 possi-

possibiles, sed per accidens tantum, aut respectu hujus vel illius personæ duntaxat. Gobat *tr. 5. cit. n. 816. § 821.* cum Soto & Suar.

Ad 3. Non est necesse, ut Sacro quis interfit per modum orantis; quia ipsummet Sacrificium per se non habet rationem orationis; & utique audiret Missam, qui ei assisteret agendo gratias Deo, vel perpendendo Mysteria Divina, attendendo ad ea, quæ facit Sacerdos vel dicit &c. adeoque auditio Missæ non est oratio, sed potius adoratio, vel sacrificatio (cùm intereffentes censeantur sacrificare cum Sacerdote) vel alius Dei cultus; quia Ecclesia per Missam solum præcipit aliquem DEI cultum, & DEUS sub Missa aliter coli potest, quàm orando. la Croix *lib. 3. p. 1. n. 631. 634.* cum Suar. Les. Bonac. Bassæo &c. Deus autem colitur à confitente peccatum per externam compositionem corporis, tum per internos virtutum actus, qui confessionem comitantur.

Ad IV. Confessio peccatorum non est qualiscunque accusatio sui, sed conjuncta cum variis virtutum actibus, quibus colitur & adoratur Deus, & sic aliquo modo concurratur ad sacrificandum, maximè per intentionem præviam audiendi Missam. Dein non est necesse, ut assistens Missæ habeat formaliter intentionem sacrificandi cum Sacerdote: virtualiter autem habet volendo assistere & audire Missam.

Ad V. *N. Antec.* potest enim confitens simul aliquo adhuc modo & saltem confusè habere attentionem

aliquam internam ad Sacrum, & advertere, quousque pervenerit Sacerdos ex signis supra relatis. Dein hoc non est absolute necessarium: quia etiam absorptus piis meditationibus mysteriorum Missæ vel aliorum, item involuntariè distractus penitus, ut non advertat, quid agatur, quousque pervenerit sacerdos &c. audit Sacrum, satisfacit juxta omnes; quia id per accidens contingit. Denique hic confitens adeo sit intentus enarrationi suorum peccatorum, ut nullo modo attendat ad Missam attentione interna, tamen occupatur actione pia, ad quam vel maximè habet attentionem internam, & per quam adhuc certè cum Sacrificante & circumstanti Deo cultum exhibere. la Croix *n. 631.*

Ad VI. *N. conf. § parit.* Quæ enim lectio vel recitatio peccatorum coram confessario physice loquens & merè materialiter videatur esse, quæ impossibilis actio externa cum attentione interna ad Missam certè niàsque Sacrificales, ac est lectio novellarum, & librorum profanorum &c. moraliter tamen & in ordine mentem Ecclesiæ, quæ hic maxime spectanda est, spectantis Dei cultum per præsentiam ad Missam, magis apparet discrimen; nam confessio peccatorum est actus pius & religiose quo colitur Deus, sicut per recitationem vel lectionem precum ex libello item libri spiritualis vel materiarum asceticarum, & sic attenditur ad objectum pium, non item per lectionem novellarum & aliorum profanorum. Ad VI.

Ad VII. Etiam de Confessario probabilius est, quod audiens confessionem audiat Sacrum, si prius fecit intentionem audiendi. Palao n. 4. Elco-  
palo, cit. Imò facilius est Confessario audire Sacrum, quam poenitenti, cum illius mens non ita validè occupetur attendendo ad peccata enarrata, quam poenitentis in eorum enarratione.

Quamvis verò ista ita se habere solem; nihilominus tamen in praxi oppositam sententiam utpote tutiorem standam esse existimo, & fideles, qui durante Sacro confessionem in-  
fluant, præsertim si illa longiùs durasset, & per Canonem Missæ to-

tum, suaviter inducendos ad aliud Sacrum audiendum, saltem si interro-  
gent; nisi essent ancillæ vel aliæ personæ, quibus difficile est diutiùs hæ-  
rere in Ecclesia, sed properandum domum, ut heris suis satisfaciant; his enim nullus scrupulus est faciendus, cum præsumendum sit de mente Ecclesie, eam malle, ut confessionem Sacramentalem, etiam voluntariam, instituant durante Missa, quam ut o-  
mittant tam salutare Confessionis remedium, adedò conducens ad sanctificationem fidelium, & magis, quam ipsa auditio Missæ.

## QUESTIO II.

*An duas successivè Missas partiales à diversis Sacerdotibus audiens, easque connectens, satisfaciat præcepto de audienda Missa?*

Non satisfacere, saltem secundum rigorem præcepti, asseres fortè cum P. Illung tr. 5. n. 161. allegante pro se Suarezium to. 3. de Sacram. d. 88. sess. 2. v. sed nunc. Fagund. Tambur. & Mathæum Stoz Tribun. poenit. l. 1. p. 3. n. 247. & sic argues I. sub præcepto Ecclesie est audire unam Missam, & assistere uni Sacrificio: sed unitas Missæ & Sacrificii non datur, si duo sint Sacrificantes & diversi, cum pars Missæ, quam offert hic Sacerdos, non referatur ad partem, quam offert alius Sacerdos, & sic istæ duæ partes non coalescant in unam Missam, sicut partes duorum Breviariorum, quæ

sunt affixa diversis diebus, non coalescere possunt in unum Breviarium eadem die recitandum. Præsertim id procedit II. si notabilis temporis intervallum intercedat inter auditionem partis Missæ, quam facit iste, & partis Missæ, quam facit alius Sacerdos; nam talis interruptio tollit unitatem Sacrificii. III. Si satisfaceret præcepto ab audiente duas Missas partiales diversorum Sacerdotum, tunc etiam satisfaceret, si prius audiretur pars posterior Missæ, v. g. ab Elevatione usque ad finem, & postea pars prior à principio usque ad Elevationem apud diversum sacerdotem: sed

K k 3

hoc

hoc non facillè aliquis Doctorum admittet; cum nimium repugnet ordinationi Sacrificii. IV. Imò sequeretur, quòd satisfieret præcepto ab audiente duas diversorum Sacrorum partes simul, v. g. Titius veniret ad Templum, ubi unus sacerdos inchoat Missam, alter verò elevat Hostiam, & maneret præsens, donec prior perveniret ad Elevationem, & alter suam Missam finiret; quia potest ad utramque partem utriusque Missæ attendere, nec enim attentio ad unam partem impedit attentionem ad alteram partem, sicut attentio ad unam integram Missam non impedit intentionem ad alteram Missam integram, & ideo potest obligatus audire Missam ex voto, & obligatus audire ex præcepto sive Confessarii sive Ecclesiæ satisfacere audiendo duas Missas integras simul: cur ergo non simul audiendo duas partes? quia sicut se habet totum ad totum, ita se habet pars ad partem.

At sicut communior, ita & mihi probabilior est sententia, quòd satisfiat præcepto Ecclesiæ, quoad substantiam saltem, imò & quoad rigorem, si quis duorum diversorum sacerdotum Missas partiales successivè audiat. Ita enim docent Navar. *cap. 21. n. 2. in Manuali*. Barbos. *in can. Missas dist. 1. de consecrat. la Croix lib. 3. p. 1. n. 607.* cum Busenbaum. & n. 611. cum Cardenas, licet n. 612. addat, peccari venialiter, si ordo iste violetur sine justa causa. Major, Sotus, Saa, Hen-

riq. Diari. Bonac. Tanner. Dicat. Santgallenles, Gobat, alique multi ita ut Suar. licet secundum quid contrarius, nostram fateatur communem; dico, secundum quid, nam etiam Suar. Azor, Tolet. Fagund. Tambur. Stoz & Palao apud & cum Illung *lo. cit.* adstipulantur nostre sententiæ, ita ut taliter connectens duarum Missarum partes non peccet mortaliter, eò quòd ex benigna Ecclesiæ interpretatione, communi doctorum iudicio approbata, reputandæ sint duæ partes velut unum Sacrificium componentes, quamvis propriè & in rigore non faciant unum & integrum Sacrificium. Ergo satisfiat quoad substantiam præcepto Ecclesiæ, ita ut non peccet mortaliter, imò Suar. Dicat. & Gobat putant nec venialiter peccari ab illis qui sine culpa ferèis venit ad Missam non notabiliter, sed v. g. ad Epistolam si post non suppleat hanc Missam partem apud aliud Sacrum, quia ista Memorialia non sunt tam rigide interpretanda. Quamvis juxta plerosque communi venialiter peccet, qui notabiles partes duarum Missarum dicto modo connectit absque justa causa, sicut qui in recitatione Breviarii inverteret ordinem, posteriorem Horam recitando ante priorem, vel unam Horam interrumpit moraliter absque justa causa; cum talis non tantum ageret contra debitum ordinem, sed etiam contra praxim communem fidelium timoratorum. Addidi, imò & quoad rigorem (quamvis hic ferè videatur esse quæstio de nomine) nam puto, non tam præcepto

ab Ecclesia unam Missam, seu ab uno  
 eodemque oblatam (cùm utique satis-  
 faceret præcepto Ecclesiæ quoad rigo-  
 rem, siquis interesset Sacro, quod  
 unus Sacerdos inchoavit, sed postea  
 ob morbum perficere non potuit, sed  
 alius Sacerdos continuavit & absolvit)  
 quæ Missam totam: auditur autem  
 tota Missa, si audiuntur omnes ejus  
 partes, licet interruptæ, & à diversis  
 locutionibus; sicut recitat totum Bre-  
 viarium, qui unam partem, aliàs di-  
 vidit non solitam, dividit, vel poste-  
 riorem horam recitat ante priorem.  
 Imò propriè una Missa & unum sacrifi-  
 cum rectè dicitur in æstimatione mo-  
 rali, licet perficiatur à duobus Sacer-  
 dotibus, partim quia idem est Offerens  
 principalis, nempe Christus, partim  
 quia dicitur moraliter unum Brevia-  
 rium, quod recitas cum uno, vel  
 pluribus Sociis successivè, ita ut tu  
 partem medietatem, alius vel alii alte-  
 ram medietatem recitent, vel licet or-  
 dinem Brevitarii invertas, vel interrup-  
 pas. Unde probatio meæ assertionis  
 ex ratione est hæc: quia audiens suc-  
 cessivè duas medietates Missæ à diver-  
 sis Sacerdotibus audit Missam totam,  
 imò verè & propriè quoque unam: ri-  
 gore autem præcepti Ecclesiæ plus non  
 petit, quam auditionem Missæ, quæ sit  
 moraliter tota vel etiam moraliter una.  
 Quin imò etiam juxta Illsung, Palao,  
 & alios adversantes, duæ tales partes  
 ex interpretatione Ecclesiæ reputantur  
 velut unum Sacrificium, adeoque in  
 æstimatione morali satisfat rigori præ-  
 cepti Ecclesiæ.

iv. nunc ad Opposita. Ad I. patet  
 ex dictis, & negatur *Min.* Paritas de  
 partibus duorum Breviariorum, quæ  
 sunt affixa diversis diebus, non est ad  
 rem, & tantum probat, quòd duæ  
 partes Missæ, diversis diebus auditæ,  
 non constituunt unam Missam huic  
 diei affixam. Ad II. Modò intervallum,  
 temporis non sit tantum, ut moraliter  
 non amplius censeantur duæ partes co-  
 alescere in unam Missam, sufficit:  
 quando autem tantum sit intervallum,  
 pendet à prudentum judicio: Tam-  
 bur. putat quidem manere unitatem,  
 modò intra eundem diem tales partes  
 audiantur; quæ tamen separatio aliis  
 videtur esse nimia; si verò sit ad ho-  
 ram circiter, non est nimia; nam sæ-  
 pe Missa interruptitur per concionem  
 unius horæ & amplius, & tamen cen-  
 setur manere una. Ad III. N. *Min.*  
 id enim admittunt Navar. Bonac. Tan-  
 ner. imò plerique alii loquuntur de u-  
 troque casu, nam loquuntur absolutè  
 de audiente unam partem unius, &  
 alteram alterius sacerdotis sine distin-  
 ctione, an posterior vel prior pars  
 Missæ audiatur prius. Et ratio nostra  
 procedit de utroque casu. Ad IV.  
 Negatur sequela. quamvis enim olim  
 hanc sententiam ut probabilem defen-  
 derit Busenbaum cum Bonac. Hurt. &  
 Diana, hodie tamen sustineri amplius  
 non potest; cùm Innoc. XI. damna-  
 verit hanc ordine 53. propositionem:  
*satisfacit præcepto Ecclesiæ de audiendo  
 sacro, qui duas ejus partes, imò qua-  
 tuor, simul à diversis celebrantibus au-  
 dit.* Nec ratio pro illa est efficax, quia  
 una



una Missa est unum totum successivum, seu habens verba & actiones sibi succedentes; igitur, licet una tota Missa possit coexistere alteri toti Missa, tanquam unum totum successivum alteri, & sic audiri simul plures tota Missa, ac per eas satisfieri simul voto & precepto, tamen pars Missa, tanquam totius successivi, non potest coexistere simul & conjungi cum altera parte ejusdem totius successivi, & sic facere unam integram seu totam Missam, non obstante, quod ad utramque par-

tem simul positam possit attendi: sicut non persolvitur Officium divinum seu Breriarium, si v. g. tres Lectiones à tribus diversis simul audiantur, una debet audiri & legi post alteram successivè, vid. Cardenas in Crispi. diff. 32. n. 36. Quamvis verò in rigore vera hæc esse censeam, suadeo tamen ut nemo, sine justa causa, praetersequatur, & ita parè cum DEO & Ecclesia, aut venialiter peccare non vereatur.

### QUÆSTIO III.

*An confabulans vel garriens sub Missa audiat Missam*

**B**reviter, & dico, si confabulatio, vel locutio seria, de rebus profanis, sit continuata, & diu duret, non auditur, & sic non satisfit precepto Ecclesie. Idem est de lectione libri profani, litterarum novellarum &c. de descriptione, pictione &c. Ratio, quia hujusmodi actiones diu continuatæ neque cum attentione externa, quæ juxta omnes est necessaria, composibiles sunt, eò quod faciunt, ut talis non sit proximè potens advertere ad Sacrum, & actiones sacrificantis, consequenter ut modo humano & moraliter non sit præsens Sacro, quamvis physicè adsit. Nugnus 3. p. q. 83. art. 6. concl. 6. Palao tr. 22. pu. 16. n. 4. Pasqual. q. 1323. Gobat. tr. 5. Caf. 12. n. 289. Jllung tr. 5. n. 158. La-Croix l. 3. p. 1. n. 653. contra Sot.

& Medinam. Quid autem sit attentio externa, quam impedit hujusmodi confabulatio &c. explicavi ad q. 1. secundum, in decisione præfenti. Dixi item I. si sit continuata; nam si fiat interruptim & per intervalia, ita ut relinquatur attentio externa, & possit litas ad aliquam internam, vi cuius possit adverti, quid agatur à sacrificante, erit quidem peccatum veniale contra debitam & loco sacro & Sacrificii reverentiam, præceptum tamen de attendendo Sacro quoad substantiam non completur. Dixi II. Si diu duret, h. e. ut per majorem vel per notabilem Missa partem, quamvis igitur ad validam Missa auditionem, & ad excludendum mortale peccatum, non requiratur præbabilius attentio interna actualis, sufficiat assistentia physica modo præ-

modo posita, h. e. cum intentione  
 prava, seu voluntate saltem implicita,  
 audienti Missam vel colendi DEUM,  
 reputatur tamen simul negatio alterius  
 actionis de se impossibilis cum omni  
 attentione interna, in qua negatione  
 consistit attentio externa, vel cum vir-  
 tuali perseverantia dictæ intentionis,

sicut ad meritum orationis vocalis non  
 ex necessitate requiritur, ut attentio  
 adsit orationi per totum, sed vis primæ  
 intentionis, qua aliquis ad orandum ac-  
 cedit, reddit totam orationem merito-  
 riam, ut ait S. Thomas 2. 2. q. 83. a.  
 13. in C.

### QUÆSTIO IV.

#### An dormitans audiat Sacrum?

Nequam statuat de hac qua-  
 estione, advertendum est, dor-  
 mitione in duplici sensu accipi; aliquan-  
 do enim dicit dormitionem frequen-  
 tem, & somnolentiam gravem aut  
 somnum vehementem, quo sensus  
 omnino ligantur, omnisque attentio  
 ac mentis advertentia tollitur ad id,  
 quod agitur; aliquando verò sumitur  
 pro somnolentia aut somno admodum  
 tenui & interrupto, ita ut relinquat ali-  
 qualem, etiam moraliter loquendo,  
 attentionem & advertentiam ad id,  
 quod agitur, uti quando quis vexatur  
 somno, ac identidem ei resistit, mox  
 evigilat, & mox iterum tenuiter dor-  
 mit, moxque iterum sibi restituitur,  
 ac iterum semidormit &c. Nunc

Et dico: si somnus est gravis, &  
 somnolentia tanta, ut liget omnino  
 sensus, omnemque attentionem im-  
 petit, ac per majorem aut notabilem  
 partem durat, impedit auditio-  
 nem Sacri, & per talem physicam præ-  
 sentiam non satisfit præcepto de audi-  
 enda Missa, sive dein talis somnolen-  
 (R.P. Pichler Decisiones)

tia fuerit voluntaria sive involuntaria.  
 Si verò somnolentia fuerit tam tenuis,  
 & interrupta, ut relinquat aliqualem  
 attentionem ad majorem Missæ par-  
 tem, satisfit præcepto de audiendo Sa-  
 cro quoad substantiam. &, quamvis  
 inducat peccatum veniale, si sit vo-  
 luntaria, tamen non inducit obligatio-  
 nem audiendi aliud Sacrum. Ratio pri-  
 mæ partis est clara, quia talis dormi-  
 tans vel taliter dormiens non assistit  
 Sacro moraliter & modò humanò,  
 idemque est, ac si non assisteret, vel  
 domi mansisset. Dicastillo tr. 5. de  
 Euch. d. 5. n. 120. seqq. Ratio secun-  
 dæ; quia tam tenuis vel identidem in-  
 interruptus somnus æquiparatur illis  
 actionibus externis, quæ non tollunt  
 omnem attentionem externam, & ex  
 se impossibiles sunt cum aliqua at-  
 tentione interna, licet per accidens non  
 adsit attentio interna. Gobat cas. 11.  
 n. 276. tr. 5. Theol. Experim.

Ex quo inferes, quid sentiendum de  
 illo, qui somnolenter recitat Horas  
 Canonicas, uti subinde contingit fatiga-  
 L 1 tis

tis labore, vel temperantiæ limites egressis, vel recitationem Breviarü in seram usque noctem differentibus. Nimirum si somnus est tantus, ut non nisi vitiosissimè proferantur verba, vel omnino non audiantur, quæ recitat socius, si instituat oratio Horarum Canonicarum cum socio, non satisfit præcepto, & peccatur mortaliter, intellige, si notabilis pars Breviarü ita miserè recitetur, imò non recitetur, sed omittatur. Si verò somnus sit tenuis, identidem interruptus, cum perpetua lucta, & conatu omnia pronuntiandi, vel audiendi à socio dicta, satisfit præcepto, nec est obligatio supplendi, licet sat multa verba corruptè & vitiosè fuerint pronuntiata, vel etiam aliqua omnino omiſſa, &

dicta à socio non perfectè audita percepta. Gobat n. 277. Facile enim peccatur venialiter, si nimis languidè refitatur somnolentiæ, prævidens suam infirmitatem, in cibo vel potu, aut tam diu abſtinet, iusta causa distulit recitationem Breviarü. Imò qui molestiâ somni recumbit in lecto, vel alias modè collocat corpus, & sic recitare Breviarium tali tempore, & in circumstantiis, in quibus probabilè attenda fragilitate sua credere se dormiturum, & omiſſurum ea, quæ recitanda graviter obligat, peccat mortaliter, quia experientia probabilissimo omittendi peccat, ut cum Navarro tradit Sanchez *confil.* l. 7. c. 33. n. 1. 2.



## TITULUS X.

### De Ordine Cognitionum.

#### DECISIO LIII.

De exceptione illegitimitatis oppositæ cuidam hæreditatem paternam petenti in Judicio.

#### SPECIES FACTI.

**T**res fratres nobilis prosapiæ possidebant indivisim gentilitium Castrum; postquam verò unus eorum Bernardus nomine mortem oppetierat

relictò filiò, quem dicimus Leonardum, iste titulò hæreditariæ successus prætendit communionem, jus Castri cum patris suis